

libertas. Quid hac quæstione certius? Subito arrepti in quæstionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quæstione dici potest integrius? quid incorruptius?

XXIII. Quodsi nondum satis cernitis, cum res ipsa tot tam claris argumentis signisque luceat, pura mente, atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse: recordamini, per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus ejus, qui ingressus in forum, ardente curia: quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit: neque senatui modo, sed etiam publicis præsiidiis et armis: neque his tantum, verum etiam ejus potestati, cui senatus totam rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. Cui nunquam se hic profecto tradidisset, nisi causæ suæ confideret; præsertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiæ, iudices, et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine ratione certa, causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, præsentiam animi, defensionis constantiam. An vero obtili estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianæ, non modo inimicorum Milonis sermones et opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant, eum Romam esse redditurum? Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum; arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut æquo animo patria careret, cum sanguine inimici explessset odium suum: sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, cum suo periculo salutem reipublicæ attulisset, cederet æquo animo legibus, secum